



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Jesu Siculi  
Caltasinettensis, In ... Universitate Messanensi Theologiæ  
Primarii Professoris, Tractatus Quinque In Quinque  
Ecclesiæ Præcepta**

**Tamburini, Tommaso**

**Dilingæ, 1697**

Tractatus De Ivbilæo, Concesso A Sanctissimo Clemente Decimo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40032**


TRACTATUS  
 DE  
 IUBILÆO,  
 CONCESSO A SANCTISSIMO  
 CLEMENTE DECIMO.

**I**N novem Capita dividitur hic Tractatus : Primum de publicatione Jubilæi. Secundum de Confessore eligendo. Tertium de Confessione etiam reservatorum. Quartum de Communione. Quintum de visitatione Ecclesiæ. Sextum de jejuniis. Septimum de Eleemosyna. Octavum de commutatione Votorum. Nonum varia.

Quæstio incidens de Indulgentijs non transferendis, & de Indulgentijs apocryphis,

CAPUT I.

*De publicationi Jubilæi.*

- I.** rdinarius habens transcriptum, vel exemplum impressum Bullæ Jubilæi tenetur sub mortali, eam publicare; quia secus deficeret in re gravi; qui veniant hic nomine Ordinarij dicam c. 2. n. 5.
- 2.** Quamvis autem Pontifex mandet, ut Ordinarius statim sine ulla mora publicet; tamen non excluditur facultas aliquantulum differendi, quando extat causa rationabilis; ita videmus in alienis diocæsibus publicari Jubilæum, primò in Civitate præcipua,

& deinde in Oppidis, ex aliqua causa prudenter visa ab Ordinarijs.

**3.** Hinc multis Theologis consultis, Pellizzarius *de monialibus cap. 9. num. 21. ait*, Ordinarium posse pro monialibus differre publicationem per quindecim dies, post quam publicavit in eadem Civitate: idque ob illam causam, quòd Sacerdos pro monialibus audiendis occupantur antea, in audiendis sæcularibus confluentibus ad confessiones.

**4.** Qui licet possit, non interest processioni publicationis, nec peccat, nec officit acquisitioni Jubilæi.

**5.** Non nemo putat, quemlibet posse lucrari Jubilæum ex vi publicationis

nis factæ Romæ, vel alibi; sed certè non est audiendus; quia Pontifex singulis Ordinarijs publicationem delegat.

6. Ubi nulla sit publicatio, ut in locis infidelium, sufficit qualibet notitia Jubilæi; assignatio autem Ecclesie habeatur à Parocho, vel si hic, aut Ecclesia desit; commutet Confessarius in aliud opus: quòd si neque hic adsit, non poterit acquiri Jubilæum; quia Pontifex expressè, non nisi Confessarijs commutationem committit.

7. De itinerantibus, & navigantibus sic disponit Pontifex: *Navigantes verò & iter agentes cum primùm ad suam domum illa se receperint, supra scriptis operibus peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel majore, vel parochiali loci eorum domicilij; eandem Indulgentiam consequi possint.*

*Publicatio pro Religiosis.*

8. **R**egulares omninò expectare debent publicationem Episcopi; quod enim aliqui dicunt, eos non teneri expectare, sed ipsorum Superiores posse Jubilæum publicare, Ecclesiamque designare, quia sunt exempti ab Episcopis, & eorum Ordinarius est Superior: non habet solidum fundamentum: quia Pontifex Ordinario loci ea committit: at Superior Religiosus non est Ordinarius loci absolute dictus, licet sit Ordinarius sui Conventus; nomine enim Ordinarij loci in usu communi, quem servat Pontifex, quando loquitur cum populo; intelligitur Ordinarius sæcularium, non verò Religiosorum.

*Publicatio pro presentibus, vel absentibus.*

9. **I**am verò quæres hic primò, si quis initio promulgationis inveniatur in sua Patria v. g. hic Panormi; ubi Jubilæum publicatur; sed statim ob sua negotia hinc discedat; & si quis advena, seu peregrinus hic etiam eodem tempore existat, sed pariter discedere debeat: & denique si quis huc adveniat post inceptam hebdomadam, & cogatur statim discedere, quæres (inquam) quid hi facient, ut ritè Jubilæum lucrentur.

10. Respondeo; alterum ex duobus sequentibus remedijs eligant; vel liberè proficiscantur ad sua negotia, & cum redierint, seu pervenerint in suas patrias, faciant opera juncta, sicuti itinerantes, de quibus modo num. 7. dixi, ij enim sunt censendi itinerantes propter impendentem discessum; vel petant à Confessario commutationem eorum operum, quæ ante discessum exequi non possunt; his enim utpotè impeditis, concedit Pontifex talem operum commutationem; & ex alia parte; quia statim, ac aliquis inveniatur in loco, ubi Jubilæum publicatur, acquirit jus ad illud omni meliori modo, quo potest, ibidem acquirendum, ideo poterunt hoc modo acquirere.

11. Immo propter idem jus, quod per dictam præsentiam acquiritur; ille qui capit aliqua facere, poterit cætera exequi in itinere, vel etiam extra locum Jubilæi. Solùm ob stare potest visitatio Ecclesie, sed vel illam visitet

MEVRIN  
in  
Eccle. præcepto  
de  
VARRIS  
de  
E II  
308.

ante discessum; vel si non potest, commutet Confessarius visitationem hanc.

Dixi (*non potest*) non autem dixi (*non vult*) quia rationabiliter impeditis commutare Confessarius potest ex concessione Pontificis, non verò alijs merè nolentibus.

12. Quæres secundò; qui pervenit huc, Panormum v. gr. ubi sit Jubilæum, sed pervenit tamen tardè, ut solum in die ultimi sabbati hinc inveniat; poteritne lucrari Jubilæum?

Respondeo propter dictam rationem, quòd statim acquirit jus lucrandi Jubilæum; sanè poterit, commutatis à Confessario operibus, quæ facere in illa temporis angustia nequit; is enim tunc legitimè dicitur impeditus: eundem posse se gerere, ut itinerantem & lucrari Jubilæum in patria, constat ex dictis.

13. Quæres tertio, si eadem hebdomada hic Panormi publicetur Jubilæum, & in eadem publicetur Montis regalis, possitne hic erogare eleemosynam, & deinde exequi cætera, sic & Jubilæum acquirere?

Respondeo, sine Confessarij legitima commutatione non posse, quia solum acquiritur jus ad Jubilæum, positis operibus in ea promulgatione requisitis, non verò positis operibus ex vi alterius publicationis; ita de Lugo *disp. de Pœnitentiâ n. 127.*

14. Quæres quartò, possumne incipere opera Jubilæi v. g. eleemosynam, vel visitationem Ecclesiæ, antequam Jubilæum promulgetur v. g. mane, si publicatio fieret circa meridiem?


Respondeo, non posse, quia non fiunt legitimè, nisi fiant ex vi Jubilæi publicati, non verò publicandi. De Lugo *ibidem.*

15. Quæres quintò si hic Panormi v. g. lucratus sum Jubilæum seu (quod idem id) Indulgentiam (quæ certè est absolutè plenaria) possumne alibi v. g. Messanæ, si me illuc conferam, quando ibi promulgetur Jubilæum, iterum lucrari, & à reservatis iterum absolvi, &c.?

Respondeo, probabiliter posse sustinent Enriquez, Moronus, pluresque apud Dianam; quia Jubilæum est privilegium locale pro personis, quæ in tali loco quomodocumque inveniuntur; de Lugo *loc. cit. num. 121.* fateatur, hanc sententiam esse probabilem, sed ipse sequitur negativam, quam dicit esse probabiliorè.

16. Dices, si his ego lucrari modo dicto Jubilæum possum Panormi, & Messanæ, multò magis possem illud lucrari Panormi, hoc est in prima hebdomada, & iterum repetendo eadem opera in hebdomada secunda?

Respondeo, id tibi probabiliter concedo, ut tibi concedit Moronus *loc. cit. num. 305.* & Pasqualigus *de Jubilæo quest. 22. & quest. 238.* & consequenter absolvi iterum poteris à reservatis, & obtinere commutationem votorum.



## CAPUT II.

## De confessario eligendo.

1. **Q**uamvis in aliquibus Jubilæis olim concessis dubitaretur, quinam Confessarius esset, à volente Jubilæum lucrari, eligendus; tamen in præsentem CLEMENTIS X. omnis dubitatio ablata est; debet enim esse is, qui ab Episcopo, seu Ordinario loci approbatus sit; non igitur ab Ordinario penitentis, vel Confessoris.

2. Qui autem est approbatus ab Ordinario loci pro certis personis non potest eligi, nisi à dictis certis personis, nec, si finijt tempus approbationis: quæ ego universaliter docui *in tract. de Bulla Cruciatæ c. 11. §. 1. n. 10.*

## Variatio Confessorum.

3. **V**no à te electo, potes eligere alium, vel alium tempore Jubilæi, & ab hoc petere, commutationem voti, ab illo absolutionem reservati; quia tunc omnes Confessarii, sunt unius rationis, si legitime ab Ordinario loci sint approbati; immò etiam inceptam confessionem apud unum, poteris Jubilæi tempore perficere apud alium approbatum ab Ordinario loci, modò huic omnia peccata non absoluta deponas.

4. Et elapso Jubilæo non potest, nisi in uno casu alius eligi; casus autem unicus est, quando quis tempore Jubilæi gravatus reservatis habuit à Confessario propter causas rationabiles (quas tangam mox *num. 18. & 19.*) dilationem Confessionis faciendæ post

tempus Jubilæi; nam tunc posset postea eligere eundem, qui illi distulit confessionem, quamvis hic Confessarius fuerit approbatus solum pro tempore Jubilæi: Et ratio est, quia causa apud hunc jam capta fuit; unde radicata in ipso fuit jurisdicção quoad talem penitentem.

5. Immodò potest etiam alium tunc, vel alium Confessorem eligere, qui habeat tamen approbationem ab Ordinario pro absolvendis mortalibus, licet non pro reservatis, id quòd distinctius dicam *num. 20. & iterum c. 3. n. 2.*

## Confessarius à quo approbandus.

6. **E**t ex nostro Jubilæo approbandus ab Ordinario loci; Intellegimus autem pro Ordinario loci Episcopum, Vicarium Generalem cum speciali mandato, Vicarium item Generalem, sede vacante, cum simili speciali mandato, Abbates denique territorium, & Episcopalem jurisdictionem habentes.

7. Rogas: an secularis, vel Religiosus possit eligere Confessarium Religiosum approbatum dumtaxat à Prælato, seu Superiore suo Religioso?

Respondeo, Moronus *in centum responsis moralibus, responso 98.* ait, esse probabilissimum, quòd possit; quia, inquit, Conventus Religionis non est locus Episcopi, sed Superioris Religionis: quare Sacerdos Religiosus, qui habet approbationem sui Superioris, dicetur sufficienter habere approbationem Ordinarij sui loci, id est sui Conventus: sed profecto id approbare non possum: quare negativè respondendum

dendum est, ut docet contra Bonaciam de Lugo *disp. 20. n. 141.* Et ratio est, quia nimis manifestè Pontifex requirit approbationem illius Ordinarij loci, qui simpliciter talis est in communi usu loquendi; nam (*sicuti modo dicebam c. 1. n. 8.*) in hujusmodi Bullis populo datis, Pontifex communibus vocabulis utitur; confirmat hoc de Lugo ex inconvenienti; nam sequeretur, quòd Sacerdos secularis non approbatus ab Episcopo, sed approbatus à Superiore Religioso (ut certè potest extra Jubilæum pro suis subditis) esset aptus pro omnibus tempore Jubilæi, vel saltem pro omnibus Religiosis illius Conventus.

Illud igitur, quòd nonnulli dicunt, quòd Religiosus potest per Jubilæum eligere Sacerdotem approbatum à solo suo Superiore, falsò dicitur; in nostro enim & simili Jubilæo requiritur approbatio Episcopi, seu Ordinarij loci, ut dictum est.

*Confessarius Religiosorum à quo approbandus?*

8. **Q**uid contra? possuntne Religiosi eligere, pro hoc Jubilæo acquirendo, Sacerdotem, qui sit approbatus ab Ordinario loci secularium, non autem qui sit approbatus ab ipsorum Superiore, vel ipso Superiore non consentiente?

Respondeo: posse, nam revocantur à Pontifice omnia privilegia, quæ habent Religiones, ne eligant Confessarium non approbatum ab ipsorum Superiore, Ratio autem, quòd possint, maxime fundatur in eo, quòd hæc

electio Confessarij tempore Jubilæi, qui possit absolvere Religiosos ab omnibus; sicuti seculares, etiam à relevatione in Religione, non officit Religiosæ observantiæ, cum sit de ratò contingens; tum quia admodum fructuosa est ad sedandas Religiosorum conscientias; tum quia valde libera, & amplissima conceditur fidelibus hæc facultas; & mirum sanè esset, si ea non prodesset tot numero Religiosis; tum quia denique praxis Religiosorum etiam timoratorum usu ipso idem affirmat.

9. Multò magis possunt Novitij eligere Confessarium approbatum ab Ordinario loci secularium, quia Novitij in favorabilibus veniunt nomine secularium.

*De Religiosis Soc. JESU.*

1. **D**ices, at Gregorius XIII. prohibuit, ne Religiosi Soc. Jesu frui possint Jubilæo, nisi cum licentia, & voluntate Superiorum suorum, ut disertè habetur in compendio privilegiorum ejusdem Societatis *Verb. Absolvo §. 11. & Verb. Gratiarum usus §. 2.* quid igitur de his dicendum?

Respondeo primò, Idem dicendum esse, quòd dictum est de cæteris Religiosis, id quòd constat ex declarationibus datis ad varias Provincias à P. Generali ejusdem Societatis, quæ referuntur in responsis Generalium Societatis *verb. absolutio, & Jubilæum n. 2. & sequentibus*, quæ sunt ejusmodi.

2. *Cum forma Jubilæi unicuique det libertatem eligendi Confessarium, nulli sunt designandi pro nostris Confessarij,*

sarij, sed concedenda unicuique facultas eligendi aliquem ex domesticis Confessariis approbatis, ut hac libertate permissa, non valde curiose inquirent, num etiam externus eligi possit. Pol. 19. Junij 1641. lib. 4.

3. Quando in Bulla tam ampla potestas conceditur eligendi Confessarium, ut in postrema concessa fuit, liberum est etiam nostris confiteri cuivis approbato, sive alterius ordinis Religioso, sive seculari. Austria, Gallob. per P. Claudium, Aquitania 1597. l. 4.

4. Hinc quando Bulla tam ampla potestatem concedens revocat quacunq; privilegia contra facientia, sicuti factum est in proximo, non potest Societas vi privilegij Verb. Absolutio num. 11. suis denegare hanc facultatem. Fland. p. Sept. 1618. l. 4.

5. Non est necesse nostris tunc indicare, sed satis est, ipsum exemplar Bullae publice proponere, omnia designatione certorum Confessariorum, & omnibus facere liberam facultatem confitendi cuilibet Confessario Societatis. Gall. Austria, Fland. post rescriptum a Parr. Claud. Aquitania 1691. in eadem verba datum.

6. Quod si in formula Diplomatis aliquid dubij occurrat circa amplitudinem facultatis, consulendi sunt Doctores, & eorum iudicium sequendum. Gland. Rhen. Infer. 6. Julij. 1530.

#### De Monialibus.

10. **I**am verò de Monialibus idem dicendum est, posse scilicet in foro conscientiae tum validè, tum licitè, perinde ac saeculares, etiam si Con-

fessarij non sint specialitèr pro ipsis approbati, dummodo sint absolutè approbati à loci Ordinario. Legite Moronum num. 145. & Pasqualigum de Jubileo quest. 210.

Dictum est (pro foro conscientiae) nam ceterum pro foro externo varias prohibitiones solent promulgare Episcopi, qui fortasse moniales, & Confessarium punirent (sed an rectè, ajunt dicti Moronus, & Pasqualigus citati, ipsi videant.) Pellizarius loco supra cit. n. 21. nimis indulget ejusmodi prohibitionibus. Si quis Confessarius esset ita indignus, ut Episcopus ex gravi causa spectante ad confessionem tolleretur ab ipso approbationem, tunc mirum non foret, si is & invalidè, & illicitè moniales, vel alios quoscunque absolveret.

#### Pœnitentiae salutaris.

11. **V**T munus suum rectè obeat Confessarius, debet in hoc Jubilæo salutaris pœnitentias pœnitentibus imponere; id enim expressè hic mandatur: & quamvis nonnulli aliter id interpretentur, tamen quod dicimus, saltem tutius est, & solum concedimus, posse aliquanto mitiores imponi.

#### Satisfacta parte.

12. **M**unus item Confessarii est; imponere pœnitenti satisfactionem partis, quando ea necessaria est, debetque omninò pramitti ante absolutionem; secus Confessarius peccabit contra jus partis. Id quod distinctiùs diximus in tract. de Bulla Cruciatâ cap. 11. §. 7.

13. Quid

13. Quid si omnibus penitens, pœnitens sit impotens ad satisfaciendum? Respondeo, in hoc casu nihil se ingerat Confessarius pro foro externo: at pro foro conscientie, sive ad facultatem, quam habet absolvendi Confessarius, addatur hæc clausula (*absolvas satisfacta parte*) sive non addatur, probabile est, propter dictam impotentiam sufficere propositum satisfaciendi, vel cautionem (de qua dixi loco cit.) quod quando pœnitens poterit, satisfaciet, & sic posse absolvi in foro conscientie; ita tamen, ut non turbetur forum externum.

Prudenter autem Doctores monent, ne te decipiat, amplificando suam impotentiam, pœnitens.

*Potestas Confessarii in absolvendis peccatis, & censuris.*

14. **H**is verbis hæc potestas conceditur à Pontifice in nostro Jubilæo, quæ admodum ampla est.

*Qui Confessarii, ait, pœnitentes ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus, & aliis sententiis, & censuris à jure, vel ab homine, quavis causa laicis, seu inflictis, nec non omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, etiam nobis, etiam in Cœna Domini reservatis, vel in quibuscunque nostris constitutionibus, hac vice tantum absolvere, & liberare in foro conscientie valeant.*

Et paulò post. *Sed neque in foro conscientie id concedimus pro Irregularitate, Incapacitate, &c. Neque pro declaratis, vel publicè denunciatis incidis-*

*se in censuras, nisi intra tempus dictarum hebdomadarum satisfecerint, vel in partibus concordaverint. Illud (hac vice tantum) explicabimus mox cap. 3. num. 12.*

15. Quæres primò: Potestne ex vi hujus Jubilæi absolvi hæresis formalis? Respondeo, quoniam emanavit declaratio à Sacra Congregatione Anno 1656. sub Alexandro Septimo, per quam explicatur, nunquam concedi ejusmodi potestatem in Jubilæis, Bullis, & Rescriptis, nisi expressis verbis dicta formalis hæresis absolutio concedatur; in hac autem Bulla præsentis Jubilæi hæc expressio non adest, propterea ea absolvi nequit.

16. Dicitur est (*hæresis formalis*) nam Blasphemie hæreticales, vel quæcunque externa hæreticalis actio sine errore intellectus, cum tunc hæresis formalis nequaquam sit, absolvi sane poterit.

17. Quæres secundò: Quando ex Jubilæo, vel alio Privilegio danda est absolutio excommunicationis, debetne dari in foro Sacramentali, hoc est, dum pœnitens suscipit Sacramentum pœnitentie?

Respondeo, quamvis in Jubilæo, seu privilegio ponatur, ut absolutio fiat in foro pœnitentie, vel in foro conscientie; tamen poterit fieri extra Sacramentum Pœnitentie; nam solum tunc opus est fieri, dum pœnitens suscipit Sacramentum, quando privilegium signatè diceret, ut fieret in Sacramentali Confessione, Sanchez, alijque. Quoniam verò in præsentis Jubilæo hæc clausula non adest, poterit in rigore  
extra



extra Sacramentum fieri, licet solum valeat pro foro conscientie, non autem pro foro externo.

Dico (*in rigore*) nam cæterum, satis est, fieri in Sacramento Pœnitentie, quia tunc pœnitens melius disponit à Confessario potest ad propositum non relabendi.

*Potesas Confessarij in communi-  
tandis operibus injunctis.*

18. **E**X vi Jubilæi, quod olim emanavit eo tempore, quo scripsit Cardinalis de Lugo totum de pœnitentia, poterant quidem alia opera à Confessario commutari, ex causa, in alia pia opera, sed non confessio, & communio: Verùm in nostro Jubilæo Clementis X. ut etiam in Jubilæo Clementis IX. possunt omnia, etiam confessio, etiam communio, si opus erit, pro impeditis commutari. *Confessarij* (ajunt Clemens X. & IX.) *supra expressa* (expressa autem supra erant omnia, etiam confessio, etiam communio) *vel eorum aliqua præstare pœnitentes nequiverint in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possint.*

19. Hinc ergo sequitur, Confessarios, ei, qui fecit omnia opera injuncta, sed est in proxima occasione peccandi, posse, ut illum probent, concedere dilationem confessionis. Multitudo item concurrentium ad confessiones, poterit non raro esse causa, ut Confessor det dilationem; idem dic, si pœnitens habet multas censuras, & intricatam conscientiam, potest enim

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

Confessarius dare huic rationabilem dilationem.

*De Casibus reservatis interim  
commissis.*

10. **Q**uid si ejusmodi dilatus incidat interim in alia reservata, poteruntne hæc absolvi à Confessario?

Respondeo. Circa hoc aliquid innui *num. 4. & 5.* Et quidem, quod possit absolvi ab omnibus commissis ante spiratum tempus Jubilæi, non est dubitandum; sed dubitatio posset procedere de reservatis, quæ fortè committet antequam ipse Jubilæum, seu Indulgentiam per ultimum opus ex injunctis acquirat; nam tunc Indulgentia acquiritur. Et nihilominus respondeo, etiam ab his absolvi posse ab eodem Confessario, qui dilationem dedit. Ratio hujus sententiæ (quam licet neget de Lugo *loco cit. numer. 124.* amplectuntur tamen Alphonsus de Leone, Santarellus, cum Diana *p. 3. tr. 4. res. 147.*) est, quia posito, quod Confessarius Confessionem prolongavit, totum illud tempus intermedium usque ad Confessionem, est tempus Jubilæi pro dilato.

21. Dixi (*ab eodem Confessario*) quod minus dubitandum est; nam cæterum posse à quocunque legitimo Confessario, qui habet jurisdictionem ab absolvenda mortalia dixi *n. 4. & 5.* & iterum dicam *cap. seq. num. 2.* Quia omnes Confessarij legitimè approbati, sunt veluti unus pro ijs, qui Jubilæum sumunt.

Z

22. No-

22. Nota, posse contingere, ut aliquis sumat Jubilæum, seu acquirat Indulgentiam die Jovis v. g. quia propter rationabile impedimentum fuerunt illi commutata jejunia feræ sextæ, & sabbati, aliaque opera finierit dicto die Jovis, in hoc ergo casu inquiret, si is post acquisitam Indulgentiam committat reservata, possitne ex vi Jubilæi acquisiti ab illis absolvi?

Respondeo, non posse; nam facultas absolvendi à reservatis est concessa in ordine ad lucranda Indulgentiam: si ergo hic completè illam acquisivit, spirant pro ipso Jubilæi tempus, ejusque privilegia.

23. Advertat denique Confessarius, quod licet possit tolli reservatio, & excommunicatio, invito pœnitente, ut diximus in tract. de absolutione excommunicationis; nunc tamen per Jubilæum, ut per Bullam Cruciatæ, non potest, illo invito, tolli, quia privilegia Jubilæi, & Cruciatæ sunt concessa pœnitenti ipsi, qui non potest cogi ad usum sui privilegij: quare dictam absolutionem debet ipse petere à Confessario; si non petet, nihil poterit Confessarius.

### CAPUT III, De Confessione.

*Peccatis mortalibus carens.*

I. **Q**ui sine culpa putat se liberum esse à peccatis mortalibus; & idè non confitetur, an gaudeat privilegio Jubilæi, Indulgentiamque lu-

cretur, si cætera injuncta ritè præstet?

2. Respondeo. Sanchez, Henriquez, alijque negant, quia confessio est unum opus ex injunctis omninò requisitis. Suarez, alijque affirmant; quia ex interpretatione mentis Pontificis, praxim fidelium scientis, qui non judicant, se obligari ad confessionem, nisi mortalibus graventur; intelligimus, confessionem non propter aliud in Jubilæo à Pontifice requiri, nisi ut, quis ponatur in statu gratiæ; utraque sententia probabilis est, ut fatetur ipse Sanchez, licet suam voeet probabilior.

3. Quid si prædictus post acquisitionem, & elapsam Jubilæum recorderet alicujus mortalis reservati, à se ante Jubilæi acquisitionem commissi, poteritne absolvi ab hoc obliro per quemcumque Confessarium, qui habeat potestatem absolvendi à mortalibus, sed non à reservatis?

4. Respondeo, posse: siquidem per acquisitionem Jubilæi acquisivit in sententia probabili jus ad hujusmodi absolutionem, idque etiam si post multum tempus, v. g. post annum recorderetur illius, vel etiam aliorum commissorum ante acquisitionem Jubilæi; tunc enim in prima confessione, quam faciet, debet illa clavibus subicere, ut legitime absolvatur. Ita docent Sanchez, Henriquez, & alij.

*Confessus, vel non Confessus non recipiens Jubilæum.*

5. **Q**ui peregit confessionem cum animo lucrandi Jubilæum, &

tem-

tempore Jubilaei fuit absolutus etiam à reſervatis, ſi poſtea Jubilaeum non lu-  
ctatur, ſive ſine ſua culpa, ſive cum cul-  
pa, remanet ne absolutus?

6. Reſpondeo affirmativè; quia  
absolutio licet fuerit collata in ordine  
ad Indulgentiam acquirendam, tamen  
absolutè collata eſt, & non ad reinci-  
dentiam. Non ita eſt, quando quis in  
articulo mortis absolvitur ab excom-  
municatione reſervata (nam tunc da-  
tur absolutio ad reincidentiam) dixi-  
mus in tract. de absolute excommu-  
nicationis.

Hæc autem pœna reincidentiæ tunc  
ſolum incurritur, quando Pontifex ſic  
ſe expreſſè declarat: at in Jubilæo id  
non exprimit; unde ſequitur, malè  
facturum Confeſſarium, ſi Jubilaei  
tempore pœnitentes abſolveret ad re-  
incidentiam; debet enim abſolvere  
absolutè, & ſub nulla conditione in fu-  
turum.

7. At verò, qui nullam peregit  
confeſſionem, qui fortè, ut diximus  
num. 1. mortali peccato non gravaba-  
tur, licet alia injuncta executus ſit, nul-  
lo Jubilaei privilegio gaudere poterit,  
quia tunc nec confeſſio peracta eſt, nec  
Jubilaeum acquiſitum.

8. Idem dic, ſi quis confitere-  
tur non habens intentionem acqui-  
rendi Jubilaeum; hæc enim Confeſ-  
ſio, licet aliàs legitimè, & cum fructu  
facta, non eſt tamen confeſſio privile-  
giata per Jubilaeum, cum non facta ſit  
ex intentione acquirendi illud, quæ  
intentione neceſſaria eſt, ut paulò poſt  
dicam.

9. Quid dicendum de illo, qui fe-  
cit quidem confeſſionem, ſed propter  
defectum doloris v. g. ſacrilegam illam  
fecit, & invalidam?

Reſpondeo, Quamvis hic exequa-  
tur omnia alia opera injuncta, non lu-  
crabitur Jubilaeum, nec ejus privilegia:  
quia, cum ſit DEI inimicus, Jubilaei,  
ſeu Indulgentiæ, & Privilegiorum ex  
his conſequentium particeps eſſe non  
potest.

Quid ſi ante ultimum opus contera-  
tur? Reſpondeo, neque lucrabitur:  
quia in hæc figura caſus non fecit om-  
nia injuncta, quia non fecit confeſſio-  
nem, confeſſio enim ſacrilega nullo  
modo confeſſio eſt.

10. Inſtas; quid ſi illa confeſſio  
fuerit valida, ſed informis?

Reſpondeo: Etiam concesso, quod  
dari poſſit confeſſio, ſeu Sacramentum  
pœnitentiæ validum, & informe, quod  
innumeri Doctores negant, & concesso  
etiam quod hic per contritionem re-  
cuperet ſtatum gratiæ ante ultimum o-  
pus; dico, eum non lucraturum Ju-  
bilaeum, quia pari modo hic non poſuit  
unum ex operibus injunctis, nempe  
confeſſionem, quia non injungitur à  
Pontifice quæcunque materialis, quam-  
vis valida confeſſio; ſed illa, quæ con-  
ducit ad gratiam, & Indulgentiam ob-  
tinendam; atque adeò, quæ ſit for-  
mata ex gratia. Ita Paſqualigus q. 73.  
contra Leonem, & Faustum.

Confirmatur hæc reſponſio; nam  
hodie eſt ab Alexandro VII. damnata  
hæc propoſitio (qui facit confeſſionem  
nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ) ſi  
ergo confeſſio nulla, qualis certè eſt in-

muni usu loquendi illa, quæ nullam parit ex se gratiam, non satisfacit præcepto Paschali Ecclesiæ; satisfactiæ intentioni Pontificis pro Jubilæo?

11. Rogas: qui confessus est, & absolutus spe Jubilæi; si deinde Jubilæum nolle ex culpa sua consequi, peccatne?

Respondeo: Suarez docet peccare; quia facit contra virtuale pactum in eo beneficio absolutionis à se recepto. Sed Sanchez negat, quia non apparet adesse ejusmodi pactum: & ex alia parte Confessarius absolute, & sine conditione in futurum absolvit, ut modò diximus *num. 6.* Fuit igitur solum propositum penitentis, à quo recedere, certè ex se peccatum saltem grave non est.

*Absolutus nulliter à reservatis.*

12. **S**I Penitens bona fide confiteatur, etiam reservata, habeatque animum lucrandi Jubilæum, at Confessarius, qui non sit approbatus ab Ordinario loci, tamen (certè cum peccato) illum absolvit; lucraturne is privilegia Jubilæi? Cùm verè legitimam confessionem, seu absolutionem non obtinuerit.

13. Respondeo Moronum *loc. cit. num. 297.* putare lucrari tunc ejus privilegia; siquidem (ait) huic bona fide procedenti nocere non debet malitia Confessarij, idque etiam si confessio requireretur, ut conditio; necessitas enim ponendi condiciones cessat; quoties per debentem illas ponere non stat, quod conditio executioni non

mandetur. Contrarium docet Pasqualigus *quest. 71.* quis hic, si confessio supponatur requiri ut conditio, verè non ponit opus injunctum, nempe confessionem validam; tanè utrumque probabile videtur.

14. Si in ejusmodi pravo Confessario adfuisse error communis, non essemus in dubio; nam tunc confessio satis superque legitima fuisset, ut alibi à nobis dictum est *suprà.*

15. Quid si bonus ille penitens veniat in cognitionem de illegitimitate sui Confessarij?

Respondeo. Si adfuit prædictus error communis, ad nihil obligabitur; si ejusmodi error communis non adfuit; puto necessarium fore, ut penitens subiciat sua illa peccata alteri Confessario legitimo, potenti absolvere à mortalibus, ut in simili alibi diximus de peccatis indirecè absolutis.

*Peccati antiqui memor.*

16. **I**lle qui validè confessus est de mortalibus, & ille, qui non est confessus, quia solis venialibus gravabatur, sed jam Jubilæum acquisivit; si uterque aliquorum mortalium sine culpa est oblitus, neuter obligatur, illa oblita fateri ante elapsum Jubilæum, latetis est suo tempore.

Immo ab oblitis commissis etiam reservatis ante acquisitum Jubilæum, poterit in prima confessione absolvi per quemcunque Confessarium, potentem absolvere mortalia, etiam post multum tempus ab elapso Jubilæo, ut nuper dixi *n. 3.*

*Quam.*

## Quando facienda Confessio.

17. **S**atisfit Jubileo, sive confessio præcedat, sive consequatur alia opera; quia ordo positus in tenore Jubilæi est consilium, non præceptum: certè operæ pretium erit, confessionem præcedere in eo, qui habet mortalia, ut scilicet consequentia opera cum fructu fiant in statu gratiæ.

18. Dubitabatur olim, an confessio potuerit fieri die Dominico post sabbatum hebdomadæ à nobis electæ pro consequendo Jubilæo. Negabant olim antiqui nonnulli. verùm hodie ablata est hæc dubitatio; quia Bulla dicit (ut Confessi communicent die Dominico immediate sequenti, vel alia die infra hebdomadam) ita de Lugo loc. cit. num. 107. & communiter.

19. Hinc ergo sequitur, quòd, quia dies Dominicus prædictus est inclusus in tempore Jubilæi, poteris in toto die Dominico legitime facere alia opera injuncta, etiam usque ad mediam noctem, quæ ad dictam Dominicam consequitur. Hanc sequelam negat de Lugo; sed quia multi eam amplectuntur congrua ratione ducti cum Pasqualigo q. 58. probabilis ea sit.

*Absolutio reservatorum quoties? & quid peccans ex confidentia?*

20. **I**N tempore ante acquisitum Jubilæum, seu Indulgentiam, quæ acquiritur in ultimo opere, quod tu facis, potest quis absolvi à reservatis toties quoties, (idem dicemus mox de votorum commutatione antea emis-

orum) immò etiam si quis ea reservata commiserit in confidentiam Jubilæi; quia hæc restrictio non ponitur hic à Pontifice; quæ tamen posita est in Bulla compositionis contra furantes in confidentiam illius Bullæ.

21. Instas, In Jubilæi tenore solet poni, & ponitur in nostro, hæc clausula (*absolve pro hac vice tantum*) ergo non toties quoties.

Respondeo, hanc limitationem dictæ doctrinæ non obstare, quia sensus est (*pro hoc Jubilæo, seu ex vi hujus Jubilæi tantum*) hoc est pro tempore, quo durat hoc Jubilæum dumtaxat.

*Peccans ante ultimum opus ex injunctis.*

22. **T**itius legitime confessus, legitimeque omnia opera executus est, præter ultimum, v. g. visitationem Ecclesiæ: at accedit, ut antequam Ecclesiam visitaret, peccatum mortale commiserit; visitavit tamen, & nunc querit, an Jubilæum acquisiverit, privilegiisque Jubilæi gaudere possit?

Respondèo, esse distinguendum: si enim Titius, antequam Ecclesiam visitavit, elicuit actum contritionis, vel novam confessionem vitæ fecerit, Jubilæum & Indulgentiam acquisivit, & ejus privilegiis frui poterit; at verò si nec contritus, vel nec de novo confessus visitavit; Jubilæum, & Indulgentiam non acquisivit, quia in ultimo opere non erat in statu gratiæ; quare nec ullis Jubilæi privilegiis uti poterit.

## CAPUT IV. De Communione,

### Quando?

1. **S**olet Communio fieri die Dominico sequenti ad hebdomadam electam; verum, ut innui cap. precedente, potest illa fieri etiam in tota illa hebdomada à te electa, qui dies Dominicus assignatur de consilio, non de precepto.

### Qui communicare debent?

2. **C**ommunio est omnibus necessaria ad lucrandum Jubiläum, etiam pueris, qui per ætatem possunt; alij autem, ut patientibus tussim, vel vomitum, vel similibus, quibus communicare integrum non est, commutetur illa à Confessariis.

### Communio Sacrilega?

3. **C**um status gratiæ requiratur in ultimo opere, ut supra sæpe diximus; Communio ultimo facta à gravato mortalibus, cum sit sacrilega, nec ponens hominem in gratia, non sufficit ad Jubiläum acquirendum.

### Impediti cum culpa, vel sine culpa.

4. **Q**uæres, qui aquam v. g. bibit in ultima Dominica, quando suscipere debebat sacram Eucharistiam, quid faciet, ut Jubiläum lucretur.

5. **R**espondeo. Si per incuriam in culpabilem bibit, non est dubium, quòd possit à Confessario obtinere commutationem communionis in alium

diem: si verò per incuriam culpabilem, quamvis aliqui negant, Fillucius tamen, quem sequor, ait: etiam posse, eum à Confessario impetrare commutationem in aliud opus; vel melius, posse recipere dilationem in alium diem. Ratio est, quia tenor Jubilæi concedit, posse commutari à Confessario omnia opera ei, qui est impeditus; at hic in præsentem jam impedimento subiectus est, & antequam spiret tempus Jubilæi, commutationem postulat, ergo, &c.

6. Propter paritatem rationis idem dic de eo, qui noluit jejunare in tota hebdomada, vel noluit alia opera imposita peragere; & antequam spiret tempus, ad Confessarium accedit, significans cum pœnitentiæ prædictæ noli-tionis desiderium acquirendi Jubilæum. Et dic etiam idem de illo, qui fortè in ultimo die notitiam habuit promulgati Jubilæi, & suum desiderium acquirendi manifestat Confessario; dic, inquam, posse in utroque casu, Confessarium commutationem his concedere, sunt enim secundum præsentem statum impediti.

## CAPUT V.

### De Visitatione Ecclesiæ.

#### Quæ?

1. **V**isitanda est Ecclesiæ, tanquam unum opus ex injunctis, solet autem esse una ex necessitate, quam quis elegerit ex assignatis ab Ordinario loci; plures enim assignantur pro commo-

moderate fidelium. Excipe semper, nisi plures Pontifex requirat, quas plures non requirit in præsentis Jubilæo.

2. Monialibus deputare debet Ordinarius Ecclesiam proprii Monasterij, vel si non deputer, commutet illis Confessarius, & quidem satis congruenter in visitationem Ecclesie proprii Monasterij.

Regularibus, secundum veram nostram sententiam, non proprius Superior, sed Ordinarius loci assignare debet Ecclesiam visitandam; & de facto intelligitur etiam pro illis assignata, dum assignat pro cæteris de civitate. Iis autem Regularibus ita claustratis, ut exire à Monasterio nequeant, fiat, sicuti dictum est de Monialibus.

4. Non est necesse, visitationem fieri eo die, quo fit processio, satis enim erit, fieri in aliquo die hebdomadæ à te electæ.

5. Si fortè invenias Ecclesiam clausam, ora ad januam, & erit satis.

*Devotè visitaverint.*

6. **O**pus non est, ut sis in statu gratiæ, dum visitas, fructuosius tamen tibi esse, si sis in gratiæ, quis ignorat?

Acquires autem Jubilæum, modò in ultimo opere (ut sæpe diximus) gratiæ statum recuperaveris, & quando visitas, devotè ores: Bulla enim Jubilæi clarè sic pronunciat (& in Ecclesia devotè oraverint.) Sed rogas, quid sibi vult illud (devotè?)

Respondeo; ut Oratio fiat in Dei, vel Sanctorum honorem; nam in Sanctis honoratur Deus. An autem de-

votio solum externa sufficiat, quamvis cum evagatione voluntaria mentis? Aliqui negant, sufficere; tamen per alios probabile est, quod sufficiat, quia verbalis sic oratio facta in Dei honorem est actus Religionis. Sed profectò, si tutiora sectari velimus, meritò monet cum aliis Moronus num. 581, ut mentis evagationem fugiamus.

*Quæ Oratio?*

7. **O** Ratio potest esse vel vocalis, vel mentalis, commendando Deo actualiter, vel virtualiter ea, quæ Pontifex commendanda significat; quæ si in mentem non veniant, sufficit orare ad Pontificis intentionem.

8. Certe preces non solent à Pontifice decerni; si tamen Pontifex eas assignaret, hæc essent recitandæ. Episcopus autem aliquid addere supra eas, quas decernit Pontifex, non valet; quare si addet, addet ex consilio.

*Spatium orandi.*

9. **T**empus orandi est arbitrium, sed non tam breve, ut possit de illo dici (spatium pro nihilo reputatur) & quamvis non nemo teneat, sufficere orationem minimam; tamen ad tutius agendum, sit aliquantulum notabilis. Quinque Pater, & Ave in rigore sufficere, non est mihi ambigendum.

*Oratio cum socio.*

10. **P**otest eadem ratio fieri cum socio alternatim respondendo, te recitante v. g. unum versiculum ex Miserere, socio alterum recitante ad modum Chori.

11. Po-

et in bi...

MEVRIM  
in  
celi præcepto  
VARRI  
de  
bus ad...  
E II  
306

11. Potest etiam pro Jubilæo applicari oratio aliàs à te debita sive ex voto, sive ex obligatione Officij Divini. Ita multi apud Dianam, licet contrarium probare contendat Pasqualigus *quæst.* 43. Non esse tantam amplitudinem in commutatione votorum, dicam *cap.* 8. à *num.* 7.

*Oratio infecta peccato.*

12. **S**I quis dum orat in Ecclesia, peccet mortaliter concupiscendo v. g. scæminas, ejusmodi oratio estne in rigore sufficiens pro Jubilæo?

Rursus, quid si quis peccet venialiter, orando, ut si oret ad finem vanam gloriam aucupandi?

13. Respondeo ad primum, nequaquam sufficere (quidquid dicant aliqui apud Bossium *de Jubilæo sect.* 4. *casu* 12.) Ratio est, quia ejusmodi oratio ita inficitur à peccato mortali, ut saltem morali modo non possit dici devota, & Deo grata, qualis certè requiritur à Pontifice ibi (*devotè visitaverint*) multò minùs sufficere, si illa oratio fieret ad finem conciliandi turpiter sibi scæminas, quia hujusmodi oratio, inducta tanquam medium ad talem finem peccaminosum, potiùs esset actus contra castitatem, quàm actus Religionis. Perinde ac ille, qui furatur propter adulterium, qui est per Aristotelem potiùs adulter, quàm fur.

14. Ad secundum puto distinguendum: si enim sic oret, ut per orationem tanquam per medium velis peccatum veniale, velis v. g. aucupari vanam gloriam, quo pacto vana gloria esset causa antecedens tuz orationis, non

sufficienter orares pro Jubilæo; quia sic esses potiùs vanus Pharisæus, quàm devotè orans Publicanus. Scio Moronum *loco cit. n.* 570. putare, sufficere dictam orationem tendentem ad peccatum veniale, sed propter nostram rationem dictam *num. precedente*, quæ etiam hîc facit, non est audiendus.

15. At verò, si supposito actu orationis factò ad honorem Dei, addatur consequenter, vel comitanter alius actus, id est effectus v. g. vanæ gloriæ, esset in rigore oratio sufficiens pro Jubilæo, quia utile per inutile non vitatur. Ita sustinet Pasqualigus q. 98. de eo, qui dum orat in Ecclesia, actum venialem impatientiæ faciat, vel rideat, vel jocetur venialiter, vel similia.

## CAPUT VI.

### De Jejunio.

#### *Quando jejunandum?*

1. **T**Er profectò in hebdomada electa ad Jubilæum, nempe feria quarta, sexta, & Sabbato est jejunandum, nec sine causa possunt ij dies mutari à Confessario.

2. Si quis in prima hebdomada, quam elegit, implere non potest jejunia, non obligatur expectare secundam hebdomadam, in qua posset: cum enim habeat jus luerandi Jubilæum in illa prima; habebit jus, ut jejunia illi commutentur à Confessario.

*Quis?*



Quis?

3. **O**mnes quidem, ut per se patet. Qui autem trium dierum jejunia nequeunt sine notabili difficultate perferre, ut sunt infirmi, pauperes, qui non habent pro plena refectioe, artifices artis laboriosæ, & similes, postulent, & impentent à Confessario commutationem.

Pueris, quamvis impuberibus, & adolescentibus usque ad annum vigesimum primum non expletum, ne Confessor commutet jejunia, nisi ex aliquo capite præter ætatem detrimentum ex illis jejniis; & quidem notabile patiantur.

Idem dicendum est de sexagenariis. Ratio est, quia omnibus non impeditis hæc jejunia injungit Pontifex illis, qui Jubilæo frui velint.

Qualia?

4. **F**lent modo Ecclesiastico, hoc est, transigendo diem cum unica refectioe sine carnibus, habito consueto vespertino ientaculo. Quoniam verò est probabilis sententia, quod anticipatio horæ non frangit jejunium Ecclesiasticum: immò cum causa neque est culpa venialis; & eodem modo refectio ientaculi facta sub meridie, reservata vespere perfecta cœna, neque venialis est ex causa, ut latè dicitur in *tract. de jejunio*, ideò neque sic nocetur obligationi Jubilæi.

5. Insuper qui violat jejunium per culpam venialem anticipando v. g. refectioem sine causa, vel minimum quid comedendo in die, non officit jejunio Jubilæi, quamvis cæterum pec-

Tambur. de Præcept. Eccles.

caverit venialiter. Ratio est, quia sic substantia jejunij adhuc persistit.

Non displicet sententia Gobat de *Jubilæo num. 208.* dicentis ( sed certè an probabiliter, me sapientioribus decernendum relinquo ) si jejunium Jubilæi incidat in vigiliam Natalis Domini, sufficere pro Jubilæo illud facere cum ientaculo vespertino dupliciter majore, quia illud pro illa die est, inquit, Ecclesiasticum jejunium. Ne tamen id extendas ad vigilias Paschatis, & Pentecostes, quia in his, quamvis vigiliis lætitiæ, saltem ex consuetudine non admittitur duplicatum ientaculum.

Cum Lactiniis.

6. **S**ed quid de lactiniis? Præcipitne Jubilæum eorum abstinentiam?

Respondeo. Quamvis non pauci distinguant, & aliud asserant pro locis, ubi est consuetudo illa in jejunio adhibendi, & aliud ubi hujusmodi consuetudo non adest. Et item quamvis plures distinguant, quando tempus Jubilæi incidit in quatuor tempora, vel vigilias, & quando in Quadragesimam; & præterea, quamvis aliqui aliud dicant de habentibus Bullam Cruciatæ, aliud de eam non habentibus, tamen probabilissima sententia est, quam multis firmat Sanchez, semper in jejniis Jubilæi adhiberi lactinia posse. Ratio autem principalior est, quia Jubilæum imponit jejunium secundum morem Ecclesiasticum: at Ecclesiasticum jejunium satis servatur cum lactiniis, nisi aliud jubeatur, ut jubeatur in Quadragesima, &c.

Aa

Immò

Immo notat idem Sanchez, quod, si quis sine causa jejunaret cum lacticiis pro Jubilæo, incidente in Quadragesimam, peccaret quidem, sed illud jejunium sic peractum satis, superque esse pro Jubilæo.

7. Rogas per hanc occasionem: Græci, quorum jejunium in Quadragesima est sine piscibus sanguinem habentibus, possuntne legitime pro Jubilæo jejunare cum lacticiis?

Respondeo, posse: quia Pontifex, dum omnibus fidelibus concedit Jubilæum cum jejunio Ecclesiastico, & quidem latino, satis idem concedit fidelibus Græcis. Confirmatur, quia in tractat. de Bulla Cruciana capit. 2. §. 3. numer. 4. diximus, eadem lacticia ipsidem concedi per dictam Bullam.

Quæres. Græci, qui ritu Græco viventes, carnes comedunt die sabbati; debentne illo die latino modo jejunare?

Respondeo, debent; etenim nimis disertè Pontifex jejunium Ecclesiasticum (quod certè est latinum) injungit omnibus fidelibus, si Jubilæum lucrari velint. Profectò nec etiam latini obligantur die sabbati rigorosè jejunare, & tamen pro Jubilæo, non obstante ipsorum more jejunare rigorosè debent: ita igitur Græci debebunt illo die rigorosum jejunium (non obstantibus suis moribus) assumere.

*Jejunia aliàs debita.*

8. **I**ejunia ex obligatione, quæ fortè incident in tempus Jubilæi, sufficiunt pro impositis ad Jubilæum con-

sequendum. Siquidem per unum, idemque opus utriusque obligationi in re hac nostra satisficit. Ita Moronus loc. cit. num. 564. ex Henriquez, & Santarello. Quare si quis vovisset jejunare omnibus festis feriis v. g. illud jejunium poterit interservire etiam pro Jubilæo. Idem diximus sup. c. 5. n. 11. de oratione aliàs debita. Legite, quæ dicam c. 8. n. 7.

Propter eandem, vel similem rationem, si in unam ex dictis hebdomadis inciderint quatuor tempora, in aliam non item; poteris legitime eligere pro Jubilæo illam, in qua resident jejunia ex obligatione Ecclesiæ; jam enim satisfacis Jubilæo.

*Jejunia fiant ex intentione Jubilæi.*

9. **D**iximus paulò ante, requiri intentionem lucrandi Jubilæum, ut illud acquiratur: Jam quero, an opera, & consequenter jejunia injuncta debeant etiam fieri ex intentione illud lucrandi?

Figuremus casum in hac materia jejunij, in qua faciliùs posset difficultas evenire. Titius jejunavit die mercutij primæ hebdomadæ, nihil sciens de jejunio imposito per Jubilæum, eratque dies vigiliæ ex obligatione Ecclesiæ: unde tunc ipse nullam habuit intentionem lucrandi Jubilæum. An illud tunc ipsi valeat pro injuncto, si cetera exequatur, & velit nunc in hac prima hebdomada Jubilæum acquirere?

10. Respondeo. Negat Suarez, Layman, Castropalaus apud Burgabet centur. 2. num. 91. Sed probabilitè

Salas,

Salas de Lugo, Dicastillus eum eodem Bergaber affirmant, valere, quia quilibet operans aliquid boni, habet universalem interpretativam intentionem lucrandi pro anima sua quidquid per suum bonum opus lucrari potest: quare si is cetera opera intra Jubilæi hebdomadam à se electam exequatur, eaque applicet saltem virtualiter, ut supra diximus, ad intentionem Pontificis, illudque jejunium antea factum applicet ad dictam Pontificis intentionem, sanè illud lucrabitur.

11. Atque hic obiter nota, hanc applicationem saltem virtualiter ad Pontificis intentionem esse omninò necessariam, siquidem est unum ex operibus injunctis, ut notat Pasqualigus q. 34.

*Jejunia in quid commutanda?*

12. Quoniam pro impeditis potest Confessarius commutare opera injuncta, aliorum autem operum facile sit prædictam commutationem expedire. Quoad jejunium verò, sit aliquantò difficilius; Idèò hujus rei praxim meritò à me queris. Et tamen vix plenè respondere possum: etenim cum id decernere dependeat à qualitate personæ, an debilis sit, an infirma, an robusta, an otiosæ vitæ, an obnoxia arti laboriosæ, & similibus circumstantiis; idèò prudentis judicio Confessarij id committitur, ut ego universaliter, & latè expendi *lib. 3. Decal. c. 16. §. 6.*

13. Quæres denique, An pro acquirendo Jubilæo possim jejunare in prima hebdomada semel, in secunda autem bis, vel contra.

Huic quæstioni sic meritò responderi Gobat loco citat. num. 212. *Post lectas (ait) tam multas Bullas fore mihi certum, te non adipisci Jubilæum: quia modus loquendi in prædictis Bullis mihi significat, in eadem hebdomada fieri jejunia debere.* Hactenus Gobat Sed de hac separatione iterùm redibit sermo infra c. 9. n. 8. ubi cum de Lugo negabimus universaliter, posse opera injuncta partium fieri in una hebdomada, partim in alia.

## CAPUT VII.

### De Eleemosyna.

*Quæ? & cui?*

1. Roganda est eleemosyna, & quidem intra tempus Jubilæi, ut etiam alia opera: sufficit autem modica, est enim arbitraria; sed quia olim in Jubilæi tenore addebatur (quod daretur juxta proprias facultates) idèò tunc erat rationabilis dubitatio, an pro omnibus modica sufficiens fuisset; verùm hodie cessat hæc dubitatio: dicitur enim in nostro Jubilæo (dans aliquam eleemosynam; prout unicuique suppetit devotio.)

2. Si sis adèò inops, ut nihil erogare queas, postula à Confessario commutationem. Verùm id in praxi vix locum habet: siquidem etiam pauperimus, potest aliquid minimum erogare.

3. Eleemosynam hanc si consanguineo pauperi dederis, satis Jubilæo fecisti. Idem si extremè indigenti,

A 2 non

non enim inde deficit eleemosynæ substantia. Idem etiam si quid temporale mutuum, vel commodatum des, proprium v. g. equum ad usum pauperis, &c. quia hæc etiam eleemosyna est, vide *mor. n. 9.*

*Eleemosyna per alium.*

4. **N**on opus est, eam fieri per se ipsum, satis est per alium, modo fiat ex bonis propriis. Et tamen satis etiam erit, si faciam, ut amicus stipem eroget nomine meo, nam tunc virtualiter dat amicus illam mihi, & ego illam numeratam jam inter mea bona, erogo pauperi.

Præterea mihi, & Cardinali de Lugo certum est, satis esse, si dem eleemosynam ei, quem bona fide puto esse pauperem; nam secus obligarentur fideles proximi facultates examinare.

5. Sed quid, si ego consignem eleemosynam meo v. g. famulo, ut det illam pauperi; ipse verò sibi illam retineat?

Respondeo. Santarellus, quem sequitur de Lugo, ait, sic non acquiritur Jubilæum. Sanchez, aliique ajunt, acquiritur, & quidem meritò; nam ex parte mea jam eleemosynam dedi.

Idem dicerem (quidquid in contrarium putet de Lugo) de eleemosyna, quam ego mittam ad pauperem distantem, ita ut propter distantiam non fuerit illi in manus tradita intra hebdomadam mei Jubilæi. Idem, inquam, dicerem: nam ex parte mea jam eleemosynam distribui intra tempus mihi legitimum.

*Eleemosyna Religiosorum.*

6. **S**uperior Religiosorum legitime potest eleemosynam distribuere pro omnibus suis subditis. Neque dicas, tunc eleemosynam, qui nullius domini capax est, non fieri pro subdito ex propriis bonis, ut requirit Pontifex, sed ex bonis Religionis: neid, inquam, dicas, nam subditus habet illorum bonorum usum, quem ejus nomine dat ex parte Superior ipsi pauperi.

7. Si Superior nullam vellet porrigere eleemosynam, possent subditi ex bonis Monasterij aliquid moderatum clam surripere, illudque dare pauperi sine consensu Superioris; quia tunc esset is nimis irrationabiliter invitatus. Ita Pellizarius agens de Monialibus in casu, quo Abbatisa eleemosynam dare pro omnibus recuset. Sed addit, satius tunc fore, si ex proprio peculio, quo fortè gaudet Monialis, det eleemosynam: vel commutationem petat à Confessario, quando nullo peculio gaudet.

8. Monet hic meritò de Lugo, nequaquam sufficere, quòd eleemosynam det Superior, subditis ignorantibus, & nisi saltem intra hebdomadam id subditi scientes, illam ratam habeant (& idem dicere deberet, si amicus meus det eleemosynam pro me.) Ratio est, quia eleemosyna (de Lugo) est actio moralis, ad quam requiritur aliqua cognitio, & voluntas, ut ex natura actionis humanæ constat. Gobat n. 2 (7. negat (& quidem etiam probabiliter) esse necessariam ejusmodi scientiam, &

ratihabitionem, & idem consequenter dicit Burgaber supra allatus *cap. præcedente num. 10.* quia quilibet vult habitualiter, & cupit, sibi prodesse ea, quæ ejus nomine fiunt ab aliis.

*Eleemosyna Spritualis.*

9. Sufficitne pro Jubilæo eleemosyna spiritalis?

Respondeo, Sufficere, ait Gabriel à S. Vincentio *in summa morali verbo Jubilæum*, si promittantur v. g. Missæ in eleemosynam: quia hæc est quædam eleemosyna satis pia, nec est necesse, (ait) ut Missæ promissæ celebrentur intra tempus Jubilæi: sufficit, quod promissio fiat dicto tempore.

Verùm id meritò negat Moronus n. 610, universaliter docens, non sufficere spiritualement eleemosynam. Etenim certè cum tenor Jubilæi, in quo Pontifex loquitur juxta communem, & vulgatum usum, requirat eleemosynam, quæ consueto modo intelligitur de temporali, temporalem debere omnino erogari, sentiendum est.

10. Illud faciliùs concederem: si daret quis alicui Sacerdoti pauperi stipendium ad celebrandum Missam pro anima purgatorij; nam sic eleemosyna profectò esset facta ipsi pauperi Sacerdoti.

11. Quid de faciente opus aliquod ex septem operibus misericordiæ corporalis in gratiam pauperis? Docet, id sufficere Gobat num. 218. quia misericordiæ temporales ex S. Thoma veniunt nomine eleemosynæ. Addit, idem, sufficere item, si dem icunculam, imaginem, vel numisma sacrum pau-

peri. Verùm ego omninò distinguendum puto: si enim illud opus misericordiæ, & illa icuncula inserviet ad sublevandam aliquo tandem modo paupertatem donatarij, concedo libens; quia sic est verè, & propriè eleemosyna vulgaris. At si non inserviet ad talem sublevationem; concedere nequaquam possum: Eleemosyna enim propriè, & in vulgari sensu definitur: esse sublevatio paupertatis proximi. Confirmatur, quia Pontifex imponendo eleemosynam, imponit illam, quæ usu communi, & vulgari intelligitur nomine eleemosynæ, cum in his Bullis populo datis sic loquatur Pontifex, ut supra sæpè diximus, non verò intelligitur illa, quam Theologicè talem vocat S. Thomas. Certè hic maximè locum habet illud *ex l. labeo, H. de supellectili legata* (nec enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudire oportet.)

12. Hinc faciliè concedam, sufficere pro eleemosyna injuncta à Jubilæo, si tu Medicus v. gr. gratis visitas infirmum, ad eum curandum; quia id pretio est æstimabile, & virtualiter sine dubio est eleemosyna: At non, si tu eundem infirmum, vel in carcere positum de more visites.

13. Pro proximè dictis contra eleemosynam spiritualement stat Leander *de penit. tract. 5. disp. 14. q. 52.* cum enim attulisset quinque Authores asserentes, ad lucrandas Indulgentias, quæ eleemosynam postulant, non requiri eleemosynam corporalem, sed sufficere spiritualement, meritò docet, hujus

et in b...  
 MBVRIN  
 in  
 Cels. præcept.  
 VARRI  
 de  
 abus ad...  
 E. III  
 30.6.

sententiæ oppositum esse certissimum, hoc est, omninò requiri corporalem. Et ratio est, ait, quia hæc tantum est propriè eleemosyna, ita Bossius, aliq; Sic etiam sustinet Quintanaduennas de Jubilæo duplicis hebdomadæ cap. 4. n. 6. additque ex Laurentio à S. Francisco, Leonem X. Summum Pontificem concessisse Minoribus, eos posse supplere injunctam eleemosynam, recitando quinque Pater, & Ave: ac posse hoc privilegio gaudere omnes Religiosos, qui per Bullas Pontificias communicant in privilegiis cum dictis Minoribus, &c.

### CAPUT VIII.

#### De Commutatione Votorum.

*Quid sit hæc Commutatio?*

1. **A**lterius juris est dispensatio voti, alterius voti commutatio. Dispensatio est, quando, qui potestatem habet dispensandi votum, DE I nomine, absolute relaxat, seu remittit. Commutatio autem est, quando, qui potestatem habet commutandi, aliquod aliud opus subrogat loco operis debiti ex voto. In hoc autem Jubilæo non datur Confessario potestas dispensandi, sed solum commutandi.

2. Potest autem Confessarius commutare votum rejiciens determinationem rei subrogandæ ad virum doctum, qui prudenter subrogare sciat, vel ad se ipsum Confessarium, postquam rem bene ponderaverit, etiamsi deinde ipsa æqualis subrogatio fiat elapso Jubilæo,

modò commutatio hæc initiata, veluti imperfectè, facta fuerit, existente Jubilæo.

3. Pœnitenti autem integrum est redire, si velit, ad suum votum, & opus subrogatum omittere.

*Æquale, vel quasi æquale.*

4. **Q**uoniam autem subrogatio debet sapere de re subrogata, ideò debet votum in casu nostro commutari in aliquod æquale, vel quasi æquale; secus esset dispensatio, non commutatio. Potest autem commutari in aliquod paulò minus, ut privilegium Jubilæi, vel Bullæ aliquid operetur.

5. Et quidem pro expedienda commutatione in æquale tempore Jubilæi sufficit, quòd fiant opera in illo imposita. At verò in quasi æquale, hoc est, in opera aliquantò minora, aliqui requirunt causam; sed alij etiam cum sufficere opera per Jubilæum injuncta, probabiliter docent.

6. Quo modo autem pensanda sit ejusmodi æqualitas: dixi ego satis in Decalogo lib. 3. cap. 16. præsertim §. 6. Legite item Sanchez, lib. 4. summa c. ult. & quæ dixi de commutatione jejuniij c. præcedentem. 12.

7. Illud autem nolo præterire, quod monet Patqualigus de Jubilæo q. 352. In commutatione votorum (ait) potest subrogari quacumque materia, quæ conferat ad obsequium DEI, & utilitatem votentis, ea excepta, quæ aliàs est debita ex præcepto. Ita Sanchez, Moronus, alijque. Ratio hujus exceptionis est, quia votum, cum sit vo-

luntæ;

laurarium, nisi expresse contrarium quis intenderit; semper intelligitur fieri de materia voluntaria, non verò de jam præcepta; ergo etiam quod illi subrogatur, de opere voluntario esse debet.

8. Ex qua doctrina nota differentiam inter commutationem hanc votorum, & commutationem operum impositorum ex Jubilæo: Illa enim Jubilæi potest expediri, in opera alia, quamvis debita ex obligatione, ut diximus cap. 5. num. 11. At verò commutatio votorum extra Jubilæum, ut etiam intra, non item. Et ratio differentie est, quia in commutatione votorum urget prædicta ratio ducta à voluntario opere, quæ non urget in Jubilæo.

Hinc vides, quod loco tui voti potest Confessarius subrogare, ut audias v. g. Missam diei feriat, non verò Missam, quam tu de præcepto audire die festivo obligaris, & tamen loco operis impositi ex Jubilæo id liberè potes.

9. Ex dictis collige primò in commutatione votorum posse subrogari ea, quæ vovens solet implere ex devotione, immò multoties sic expediet, ut scilicet vovens hilaritè impleat opus subrogatum, circa quod faciliùs se habet dictus vovens propter consuetudinem, quam habet illud agendi.

10. Collige secundò ex illo, quod modò dictum est num. 7. (quæcumque materia) posse substitui multa opera cum facultate facta à Confessario, per quam vovens eligat opera illa, quæ velit ex his: v. g. vel talem, tantamque eleemosynam, vel orationem, vel cor-

poralem verberationem; &c. quæ si singula æquivalent tuo voto (ut supponi debet) poteris eligere illud, quod tibi faciliùs cadet.

11. Collige tertio ex illis verbis dictis num. 7. allatis (ad obsequium DEI, & utilitatem voventis) rectè à Sanchez, alijsque doceri, confessionem, & communionem esse maximè aptas ad commutanda vota; quia hæc Sacramenta maximè faciunt ad DEI honorem, animæque utilitatem.

Quæ vota commutari queunt?

12. Quænam vota commutari per Jubilæum possunt?

Respondeo: Omnia, præter duo, id est, absolutæ castitatis, & absolutæ Religionis in eundem; vel etiam multò minus castitatis, & Religionis, quando sunt pœnalia, sive ante, sive post pœnam incursum, & quando sunt verè conditionalia, sive ante, sive post conditionis eventum. Nota diligenter illud (verè) quod explicui lib. 3. De cal. cap. 12. §. 2. num. 1. & 2. Quod nunc, ne alio divertam, satis mihi erit, si memoriter vobis explicaverò. Potest item commutari votum Religionis non approbatæ, & votum limitatæ castitatis, votum v. g. de non fornicando, de non nubendo, & similia, quæ non veniunt sub nomine absolutæ castitatis.

Dixi (multò minus Religionis in eundem) quòd enim nec Jubilæum, nec Bullæ Cruciatæ, nec privilegia Religiosorum extendi possunt ad commutanda vota, solemnia Professionis Religiosæ, nec ad

IBVRIN  
in  
celi præcepto  
VARRI  
de  
E II  
30/6

ad vota biennij Societatis. Immo nec ad vota adnexa Professioni solemnī Religiosorum, quale est votum v. g. in aliquibus Religionibus de non procurandis dignitatibus, & in Religione Minimorum votum Quadragesimalis jejunii, & in Carthusianis votum abstinendi à carnibus, & similibus, nimis est manifestum: de qua re videri potest Castrop. t. 3. de obligatione status Religiosi disp. 5. pun. nlr.

Vota prædicta omnia (præter dicta absolutæ castitatis, & Religionis in eundæ, vel inita, modò explicatæ) etiam si sint jurata in DEI honorem emissa, possunt per Jubileum commutari; quia sic voti naturam etiam retinent: at non juramenta, quæ facta sunt in favorem alterius; nulli enim præjudicium parere intendit Pontifex.

Vota etiam jurata facta Ecclesiæ, aliqui dicunt, non posse commutari, quia esset Ecclesiæ, præjudicium. Alij (sanè probabiliter) dicunt posse, quia hæc non continent promissionem factam Ecclesiæ, sed DEO Legite Pasqualigum quest. 281.

13. Quares. Quando vota prædicta castitatis, & Religionis absolutæ sunt emissa ab impubere, hoc est, à filio non habente annos 14. completos, vel à constitutis sub potestate alterius, quæ possunt irritari à Patre, vel ab habentibus potestatem supra voventes, de quo argumento latè diximus lib. 3. De ealogi (qui omnino, ne erretis, videndus est) possuntne commutari per Jubileum, vel per privilegia ab illis, qui

potestatem habent commutandi, vel dispensandi vota?

14. Respondeo cum communi sententia, quæ negat. Ita Suarez, Sanchez, Castropal, alique apud Pasqualigum q. 303. quia non valet argumentum: potest hoc votum irritari, ergo potest commutari, vel dispensari: si quidem posse irritari, fundatur in potestate dominativa: sed posse commutari, vel dispensari fundatur in potestate jurisdictionis spiritualis: nam à diversis non valet illatio l. Papinianus, ff. de Minoribus.

Probabile esse, dicit Pasqualigum loc. cit. cum Gutierrez, quòd possit: sed approbare hoc nullo modo possum, quia urget ratio allata modò à Suarez, aliisque. Adde, illa vota semper esse absolutæ castitatis, & absolutæ Religionis (de his enim agimus) quòd solum extrinsecè ipsis accidit, quòd Patet, & Superiores ex vi suæ potestatis dominativæ illa valeant irritare: quare semper ex se remanent indispensabilia, & incommutabilia.

Obligatio Confessarij in commutandis votis.

15. SI Confessarius requisitus, ut commutet votum per Jubileum, vel per Bullam Cruciatæ, ipse judicat causam esse justam; peccabit mortaliter, si neget commutationem, quia gravis injuria ex genere suo sic infertur pœnitenti (excipe semper pœnitentem materia) si autem non requisitus commutet, peccabit venialiter ex Sanchez, ut item, qui commutat sine causa; verum, ut diximus n. 4. ipse pœni-



pœnitentiæ petitio est causa sufficiens : non ita in dispensatione ; nam qui habet potestatem dispensandi ; mortaliter peccabit, si illam concedat sine causa. Et ratio est, quia in commutatione remanet eadem obligatio circa æquale opus, quod subrogatur. At in dispensatione tollitur obligatio ; quam, qui sine causa tollit, utitur malè suæ jurisdictione in re gravi ex genere suo, & irrita est dispensatio. Videatur de his Sanchez in summa lib. 4. c. 45.

*Commutatio voti extra Confessionem.*

16. **R**ogas : commutatio hæc voti potestne expediri ab electo Confessario extra confessionem ?

Respondeo, aliquos negare : sed quia aliqui eum Henriquez, Sanchez, alijsque probabiliter affirmant, tutum erit, etiam extra : sed diligenter advertite, tunc necessariò debere in ipso actu confessionis commutari, quando in tenore Jubilæi, vel rescripti adesset hæc, vel similis clausula ( *ut fiat in Sacramento confessionis.* ) Idem in simili diximus in superioribus cap. 2. num. 17. Cum ergo in nostro Jubilæo hæc clausula non adsit, licet adsint illa ( *in foro pœnitentiæ, vel auditus Confessionibus* ) tutum erit, extra confessionem vota ex vi nostri Jubilæi commutare.

Unde sequitur ex vi hujus Jubilæi præsentis, vel similis, vota commutari posse ab electo Confessario, vel per nuncium, vel per litteras : ut etiam opera hæc injuncta, quando opus erit, illa commutare, modò conscius fiat.

*Tambur. de Præcept. Eccles.*

Confessarius de impedimento, deque causa.

Dictum est ( posse commutari omnia vota per nuncium, vel per litteras, ) sed intellige, exceptam esse confessionem, seu absolutionem, quia hæc requirit præsentiam : ut item exceptam esse communionem, quia hæc est actio personalis.

17. Si pœnitens dicat, se non recordari votorum suorum, poterit Confessarius, cognita, quantum potest, qualitate votorum, vel dare competens tempus ad rememorandum, vel si videretur id frustra tentari, poterit commutare. Legite Pásqualigum. *quæst. 286.*

*Votum commutatum sine receptione Jubilæi.*

18. **S**i quis obtinet à Confessario voti commutationem intra tempus Jubilæi, antequam illud acquirat ; si deinde acquirit, valet commutatio. Sed quid si habita commutatione, cum spe obtinendi Jubilæum, postea voluntatem mutet, & illud non acquirat ?

Respondeo, consistere, seu valere commutationem ; quia ea facta est absolute, & independenter à futuro, quamvis necessariò cum spe illius ; imò, ut supra in simili cap. 3. num. 6. diximus, malè se gereret Confessarius, si dependenter ab eventu, hoc est à futuritione Indulgentiæ commutaret. An verò is voluntatem mutando, peccet, dixi c. 3. n. 11.

19. Quod si intentionem acquirendi Jubilæum is non habeat, tunc

B b

pro

profecto ex ibidem dictis n. 7. & 8. irrita erit commutatio.

*Non postulans commutationem.*

20. **Q**ui Jubilæum lucratus est, & sive per oblivionem, sive quia noluit, non postulavit à Confessario commutationem sui voti, poterit etiam post elapsum Jubilæi tempus, omissam commutationem obtinere, perinde ac esset in tempore Jubilæi, & hoc per eundem Confessarium, vel per similem alium, quia Jubilæi causa jam cæpta fuit. Ita Sanchez, & Moronus *loc. cit. n. 517.*

21. Hac in re Suarez tenet, si tempore Jubilæi nulla ne generalis quidem facta est à Confessario votorum oblitotum commutatio, non posse post elapsum Jubilæi tempus vota commutari: at nos sequimur sententiam Sanchez absolutè concedentis: quia, quamvis non fuerit cæpta causa ipsorum votorum oblitotum, cæpta tamen fuit causa Jubilæi, ex vi cujus pœnitens acquisivit jus ad commutationem.

22. At verò de eo, qui Jubilæum non acquisivit, quid dicendum?

Respondeo si non facta tunc fuit commutatio sive ob oblivionem, sive ob aliud, fieri post elapsum Jubilæum non amplius poterit. Et ratio est manifesta; quia in tantum posset, in quantum pœnitens acquisivisset jus per Jubilæum: at hic, si Jubilæum non acquisivit, jus nullum ab ipso participare potuit.

23. Denique hic non ignoretis, differre commutationem votorum per Bullam Cruciatæ à commutatione per

Jubilæum: per Bullam enim debet commutatio fieri, dando aliquam elemosynam in subsidium temporale belli contra infideles, ut explicuimus in tract. de Bulla Cruciatæ; ac per Jubilæum id non requiritur, sed solum, ut fiat commutatio in aliquod aliud opus pium, modo quo in superioribus declaratum est.

## CAPUT IX.

*Varia de Jubilæo.*

1. **N**onnulla in præcedentibus capitibus locum commodum non habuerunt, quæ ad Jubilæum pertinent: & aliqua item exciderunt à calamo festinante: hæc ergo rapim collecta breviter hic dabo.

*Pro animabus Purgatorij.*

2. **N**on potest Indulgentia nostri Jubilæi applicari pro animabus Purgatorij, quia id non exprimitur in tenore Jubilæi, quod certè necessarium fuisset, ut latè Palqualigus q. 10.

*Si moriatur Pontifex.*

3. **S**i moriatur Pontifex, non spirat Jubilæum, quia est gratia facta. Excipit tamen Comitulus *in responsionibus moralibus libr. 5. quest. 108.* si quando Pontifex concedit Jubilæum ex aliqua causa, que post mortem ipsius cessat: quia tunc, cessante causa, cessat effectus. Ejusmodi fuit Jubilæum Innocentij Noni, qui illud concessit, ut fideles orarent, pro recta sua gubernatione: cum enim defunctus esset post duos menses, quesitum fuit, an adhuc

duraret Jubilæum? Et negativè respondit Comitulus, quem curiosus videre poterit.

Illud est difficilium, Qui ignoravit dicti Pontificis mortem, & ipse ex Jubilæi privilegijs absolutus fuit à reservatis; an validè fuerit absolutus? Affirmativam sententiam ego libenter, tanquam probabilissimam, sequor; quia in Confessarijs tunc legitimè approbatis adfuit titulus coloratus, & error communis, quare validè absolventur, vel vota commutarunt, concedente jurisdictionem Ecclesia, ut quilibet sæpe diximus.

*Utens opinione prouabili in Jubilæo.*

4. **Q**ui utitur opinione probabilis in exequendis operibus in iunctis in Bulla Jubilæi lucraturne Jubilæi Indulgentiam?

Respondeo, negat Avendano in *thesauro Indico* t. p. tr. 5. cap. 28. n. 299. negat Gobat *loc. cit. num. 332.* negat Faustus, Bonacina, alijque cum Diana p. 10. tr. ult. 11. resol. 34.

Verùm affirmat Leander apud Dianam citatum: affirmat Franciscus de S. Joanne *ibid.* affirmat Martinus de S. Joseph *ibid.* affirmat Quartus *ibid.* qui Quartus denique fatetur, hanc sententiam affirmativam esse probabilem, & eam sustinet Excobar de Mendoza merito dicens, se minimè dubitare de sedis Apostolicæ benignitate hac in re. Certè (addit) vix esset ullus, qui Indulgentiam obtineret, si vera esset sententia negativa, àm circa opera in iuncta adfuit hinc inde sexcenta Doctorum

opiniones. Hæc de ipsa Jubilæi Indulgentia.

Sed quid sentiendum de eiusmodi Jubilæi Privilegijs?

Respondeo verbis prædictis Gobat. Is enim licet neget, ut modò dixi, acquiri Indulgentiam, tamen in hunc modum addit *loc. cit. num. 332.* *Pronunciandum est (inquit) obtineri privilegia Jubilæi posse, sequendo sententiam probabilem, que fortè coram DEO est falsa: probabilissimum est v. g. illud fieri Jubilæi participem, qui partem operum præscriptorum perfecit in peccato mortali, aut non omnia in una hebdomada: qua sententia, et si fortè à parte rei sit falsa, ac proinde eam amplexus, re vera non acquirat Indulgentiam; quia tamen probabiliter putat acquirere; idèo valent pro ipso absolutiones à reservatis, & à censuris, commutationesque votorum, ut rectè Diana loco citato.*

Hæc ille. Ratio autem esse debet, quam modò innui: quia scilicet, quando adest sententia probabilis de jurisdictione Confessarij, Ecclesia ipsi illam dat. Legite de Lugo de *penitentia* disp. 19. sect. 2. §. 1.

*Commutatio privationis debiti conjugalis.*

5. **P**asqualigus *quest. 113.* qui etiam citat Vivaldum, docet per Jubilæum posse commutari privationem petendi debitum ei, qui ante contractam matrimonium emisit, votum absolute castitatis.

Inquires ergo, an prædicta doctrina sit vera? & primò quidem, an per

Jubilæum possit commutari dicta privatio petendi debitum? & quid per Bullam Cruciatæ?

Inquires secundò, quid de privatione petendi debitum, quam quis contrahit, si quando ipsi conjugii superveniat affinitas ex copula illicita cum consanguineo, vel consanguinea in primo, vel secundo sui conjugis?

Respondeo ad inquisitionem primam: posse id per Jubilæum: Indecedit Pasqualigus, quia votum castitatis, quatenus impedit petitionem debiti, non est integra castitas, sed pars illius, unde non videtur hæc pars reservata: nihilominus dico primò, dictam opinionem Pasqualigi, & Vivaldi, quòd scilicet dicta privatio petendi debitum, quam habet quis ob votum castitatis, possit per Jubilæum commutari, esse opinionem satis infirmam, atque esse contra Thomam, Sanchez, Trullench, Bossium, à Pasqualigo citatos: & quidem difficilè est, quòd rationabiliter dici possit, non esse reservatam partem voti castitatis absolutæ, si totum votum castitatis est absolutum.

Quare dico secundò, quod saltem in praxi concedendum non est, posse per Jubilæum, vel per Bullam Cruciatæ. Et quidem quod non possit per Bullam, ego docui *c. 13. de Bulla Cruciatæ. §. 3. n. 1.* & iterum doceo.

Quis igitur dispensabit in hac privatione petendi debitum conjugale, quæ propter votum castitatis laborat conjugum?

Respondeo, de hoc me plenè dixisse lib. 3. *Decalogico. 14. §. 4. n. 48.* hoc est, posse Episcopum circa suos subdi-

tos, & posse Religiosos privilegiatos: qui locus est omninò videndus.

Ad secundam inquisitionem respondeo: nullo modo posse, sive per Bullam, sive per Jubilæum; quia ejusmodi privatio petendi debitum in his conjugatis non oritur ex voto castitatis, sed est impedimentum, quod supervenit matrimonio, inductum ab Ecclesia, ut latè ego dixi *in tr. 1. de matrimo. cap. 12. §. 3.* Quis autem hoc impedimentum tollat, dixi *ibid. tr. 2. c. 6.* nempe Episcopum, Commissarium Cruciatæ, & Religiosos illos, qui hoc privilegio gaudent. Recolite omninò locum.

*Commutatio jejuniij quando?*

6. **C**ommutatio jejuniij, quando pro impeditis expedienda est, potest à Confessio fieri, vel anteferiam quartam, vel post sabbatum, durante hebdomada à pœnitente electa, quod est dicere, posse fieri, vel ante, vel post diem statutum à Jubilæo.

*Injuncta opera, an per æquipollentiam?*

7. **O**pera à Jubilæo injuncta, sunt facienda ea, quæ præscribuntur, nec valent per æquipollentiam, nec per majoritatem operis. Et quidem omnia ad amissim facienda sunt, nec potes omittere, vel unum, quamvis sit tuo arbitrio opus parvi momenti; nec, si possunt fieri, & non adest rationabile impedimentum, possunt à Confessario commutari, ut sæpe supra dictum est,

*Injunctorum operum separatio.*

8. Quando in Jubilæi tenore dicitur (in una vel altera hebdomada) aliqui cum Castropal. *de Jubilæo punct.* 12. num. 18. Diana *part. 3. tr. 4. resol.* 15. Morono *n. 543.* (quod etiam esse probabilissimum supponit Gobat à nobis *modò n. 4.* allatus, quamvis ipse idem alibi certam esse contrariam sententiam docet, ut nos retulimus *sup. c. 6. n. ult.*) Aliqui, inquam, probabile affirmant, posse aliqua opera ex injunctis fieri in prima hebdomada, alia in secunda.

Verùm alij negant cum de Lugo *de penitentia disp. 27. n. 105.* & cum Pasqualigo *q. 59.* latè id probante: & ipse quidem Castropal. qui modò affirmativam sententiam sequutus est, pronunciat tamen ibidem, negativam esse securiorem, & non aliam consulendam.

Sed ne ægrè feras audire Cardinalem de Lugo *d. n. 105.* sic pro sententia negante, quam nos sequimur, loquentem contra Bonacinam, qui etiam affirmativam sententiam docet. *Falsum est* (ait de Lugo) *posse opera indifferenter fieri partim in prima, partim in secunda hebdomada. Hoc est contra fidelium praxim, contra Doctorum mentem, & contra verba ipsius Bullæ, in qua specialiter conceditur, quòd communitio fieri possit (saltem die Dominico sequenti) post jejunia: si autem illa sententia Bonacina vera esset, non solum die Dominico, sed etiam feria tertia sequenti post jejunium fieri posset, quod tamen est contra prædicta verba, quibus ad summum differri permittit communionem ad Do-*

*minicam sequentem post jejunia. Hætenus de Lugo.*

*Bulla Cruciatæ carens.*

9. Jubilæum, ejusque Indulgentia, & privilegia, ut valeant, non indigent Bulla Cruciatæ. Ita Galleus in expositione Bullæ Cruciatæ, afferens praxim, & interpretativam voluntatem Commissariorum dictæ Cruciatæ.

*Publicatio Jubilæi quando?*

10. Non licet Ordinariis in publicatione Jubilæi inchoare illas duas hebdomadas in quocunque die intermedio hebdomadæ: quia Pontifex assignat duas hebdomadas more civili, & Ecclesiastico; at hæc incipiunt à Dominica, non verò ab alio die. Ita contra Gobat sustinet Pasqualigus *q. 358.*

*Quid importat illud (quamprimum) pro itinerantibus.*

11. Quando pro itinerantibus, aliisque impeditis dicitur, ut quàmprimùm post impedimentum ijlucrentur Jubilæum, illud (*quamprimum*) non negat aliquam temporis latitudinem à prudenti viro mensurandam: quare poterit concedi totum illud tempus, quod judicabitur necessarium ad expedienda negotia, quæ fortè tunc urgere possent: immò etiam tempus ad aliquam quietem pro reficiendis viribus fortè necessariam.

*Absolvitur Censura, sed differ-  
tur Confessio.*

12. **Q**uando ob aliquod impedi-  
mentum ex supra dictis  
Confessarius pro audienda confessione  
alicujus differt peccatorum absolutio-  
nem post aliquod breve, & rationale  
tempus ab elapso Jubilæo, ut supra di-  
ximus, poterit durante Jubilæi tempore  
absolvere illum à censuris, quibus  
fortè afficitur; quia absolutio à censu-  
ris non est alligata ad Sacramentum,  
pœnitentiæ, quando id non exprimitur  
à Pontifice, ut supra vidimus; & ex  
alia parte in hoc casu jurisdictio Con-  
fessarii non spirat, finito Jubilæi tem-  
pore, cum in ipso radicata maneat, do-  
nec causa finiatur.

*Jubilæum incidens in festum  
solemne.*

13. **S**i incidat Jubilæum in hebdo-  
madam Sanctam, vel in octa-  
vam Paschatis, poterit satis congruen-  
ter differri ipsius promulgatio post di-  
ctam Octavam. Non placet autem  
Gobat *c. 28. de Jubilæo n. 203.* dum do-  
cet, in dicta Octava posse Ordinarium  
dispensare in tres eleemosynas tria Ju-  
bilæi Jejunia: non placet, inquam,  
tum quia est irrationabilis commutatio  
loco jejuniij, quod Pontifex requirit, ut  
exercitium virtutis, & afflictionis cor-  
poralis, subrogare eleemosynam: tum  
quia rationabiliter poterunt jejunia, &  
Jubilæum in alios dies ab Ordinario  
differri.

Illud item nolo concedere eidem Go-  
bat (ut non concedit Pasqualigus *quest.*  
*363.*) quod, si incidat Jubilæi jejunium

in aliquod festum solemne, possit Epi-  
scopus illud commutare in similem e-  
leemosynam, nolo, inquam, id con-  
cedere propter rationes modò dictas:  
quia Summus Pontifex vult exercitium  
afflictionis corporis, & rationabilius  
poterit in alium diem ejusmodi jejuni-  
um transferri.

*Virtualis intentio in Jubilæo.*

14. **N**on requiritur, ut habeat quis  
formalem, seu actualementem, in-  
tentionem lucrandi Jubilæum: satis  
enim est, quòd opera præscripta ritè  
peragantur, quia (ait de Lugo con-  
tra Suarez) sufficit intentio interpre-  
tativa, quam certè quisque habet,  
quando injuncta opera legitime exe-  
quitur, cum quilibet velit, cupiatque,  
se ipsum jurare, quantum potest, id  
quidem supra in simili à me dictum esse,  
rectè memini.

*Bona Fide commutans?*

15. **S**i Confessarius bona fide putans  
adesse sufficientem causam  
commutandi alicui opera injuncta, &  
commutat; valida est commutatio,  
nec vitatur Jubilæum: quia secus Con-  
fessarii, & pœnitentes semper essent  
solliciti, & scrupulis vexarentur. At  
verò si mala fide sciens non esse suffi-  
ciens impedimentum, commutat, nul-  
la erit commutatio, & Jubilæum ne-  
quaquam acquireretur: quia deficit u-  
num opus ex injunctis; opus enim  
factum ex nulla legitima commuta-  
tione non est illud, quod imponit  
Pontifex. Ita Gobat *de Jubilæo c. 15.*  
*num. 103.*


## Mitiores Pœnitentiæ in Jubileo.

16. **I**llud, quod dictum est supra, nimium tempore Jubilæi mitiores, seu leviores pœnitentiæ debere imponi à Confessarijs, etiam pro peccatis gravibus; quia opera pro Jubilæo sunt satis notabilia, & Pontifex, ut alliciat ad lucrandum Jubilæum, distribuit à thesauro Ecclesiæ uberem satisfactionem; illud (inquam) extenditur etiam ad alias Indulgentias, præsertim plenarias, quas solet alias concedere idem Summus Pontifex?

Respondeo, extendi: nam probabile est tempore Indulgentiæ plenariæ, quam quis lucrari decrevit, solum illam pœnitentiam medicinalem teneri admittere, quæ ex ipso jure apponi debet, v. g. remotionem ab occasione proxima, &c.

Quare erit probabile, quod Confessarius diminuat pœnitentiæ tempore Indulgentiæ plenariæ. Admoneat tamen pœnitentem, causam levitatis pœnitentiæ esse Indulgentiam, ne scilicet ex parvitate pœnitentiæ, suam culpam gravitatem modicam esse, sibi perluadeat.

Dixi (*diminuat*) semper enim aliquam imponat, licet parvam. Hanc doctrinam hæcenus in hoc num. 17. allatam latè, & eruditè probat Cardinalis de Lugo *dissp. 27. de pœnit. a num. 22.*



## Catecumenis an prosit Jubilæum?

17. **C**atecumenis etiam contritis non prodest Jubilæum, nec indulgentia quælibet alia (quidquid asserant nonnulli) quia concessio Indulgentiæ est actus jurisdictionis, quam Pontifex non habet, nisi in illos, qui sunt ingressi in Ecclesiam per Baptismum. Ita Moronus *n. 560.* Scio, Avendanum affirmare, prodesse Indulgentiam Catecumenis: sed propter dictam rationem id mihi difficile est.


*Peccatne, qui Jubilæum non recipit?*

18. **R**ogas: peccatne fidelis, si nulla ex causa, sed solum propter incuriam negligit, cum possit, Jubilæum lucrari?

Respondeo, non peccare, ne venialiter quidem, quia Pontifex hortatur ad illud acquirendum, non præcipit. Excipe semper illum, qui aspernaretur, seu contemneret Bullas, Jubilæum concedentes, hic enim peccaret mortaliter ratione contemptus.

*Questio incidens de Indulgentiis in alium non transferendis.*

19. **D**um sermonem haberemus de Indulgentia Jubilæi, rogarunt à me nonnulli, ut asserrem hic praxim circa Decretum Alexandri VII. quo prohibet, posse indulgentias transire de persona ad personam. Ego igitur morem meis auditoribus gerens, libenter id jam subjicio.



De-

et in bi...

IBVRIN  
in  
de  
VARRIS  
de  
E II  
306.

Decretum Alexandri Septimi  
super Indulgentiis.

20. **S**anctissimus Dominus Noster Alexander Papa Septimus declarat, quod quacunque Corona, Rosaria, Grana, ac Calculi, Cruces, Numismata, Medallia, vulgo nuncupata, & sacra Imagines, sive sint S. Caroli Borromæi, sive quinque Sanctorum à felicis recordationis Gregorio decimo quinto Pontifice Maximo in Sanctorum numero relocatorum, sive quacunque cum indulgentiis ante à Summis Romanis Pontificibus Sanctitatis suæ Prædecessoribus benedictæ, & concessæ, quæ quidem in hunc usque diem distributæ sunt, non transeant personam illorum, qui ea de præsentibus obtinent, neque commodari, aut etiam precario dari possint, & quæ à Sanctitate sua concessæ sunt, vel impfferum concedentur, non transeant similiter personam illorum, quibus ab eodem Sanctissimo concessæ fuerint, vel quibus à prædictis de ordine ejusdem Sanctissimi prima vice distributæ fuerint, ita ut à nemine aliis commodari, vel precario concedi possint, alioquin careant indulgentiis concessis.

Et quantum attinet ad Coronas, Rosaria, Grana, Calculos, Cruces, Numismata, Medallia, vulgo nuncupata, & Sacras Imagines cum Indulgentiis ab iisdem Sanctitatis suis Prædecessoribus benedictas, & concessas, quæ in hodiernum usque diem effectum sortitæ non sunt, id est, nulli hætenus distributæ sunt; nemini uti benedictæ deinceps distribui possint. Quod si de facto distri-

buantur, careant Indulgentiis jam concessis.

Ac alicui ex rebus præmissis, ut profertur, benedictis perditæ, alteras pro eis subrogari, nullo modo possit, quacunque concessione in contrarium non obstante, etiamsi de ea specialis, & expressa mentio faciendæ esset, uti per præsentis Sanctitatis suæ derogavit, & derogatum esse voluit. Romæ die 6. Februarij 1657. Pontificatus quidem S. D. Nostri Anno secundo. Gualterius.

Praxis pro prædicto Decreto.

21. **G**abriel à S. Vincentio in summa moralis, verbo Indulgentia, sic habet.

Sanctissimus Dominus Noster Alexander Septimus decrevit, quod Rosaria, Grana, &c. benedicta, seu cum indulgentiis, quæ nondum sortita sunt suum effectum, seu quæ adhuc distributa non sunt; non transeant personas illorum, quæ eas de præsentibus obtinent. Ex quo inferitur, quod qui habet benedictiones, non eas perdunt, sed poterunt aliis eas concedere, & applicare materiæ præsentibus, quæ sit illius, cui Indulgentia conceditur; quia tunc nec medallia transit ab uno in alium: cum non sit concedentis Indulgentiam, nec indulgentia, quia hæc ab uno in alium non transit; siquidem cum Papa concedit Indulgentias, seu benedictiones, non extrahit satisfactiones de thesauro, & dat in manus illius, cui concessit benedictiones; sed solum dat illi facultatem designandi materiæ, vel personam, qua designatione facta, ipse illi indul-



indulgentiam communicat, seu facit, quod remaneat deputata ad inferendam Indulgentiam, posito tali, vel tali opere: non enim satisfactiones manent alligatae medalliarum v. g. Hactenus Gabriel.

22. De eodem argumento Georgius Gobat tom. 2. tr. 4. de revocatione Indulgentiarum par. 2. cap. 37. cum docuisset, esse tuam sententiam, quod non solum ipsa medallia, &c. affecta Indulgentiis, sed etiam ipsa benedictiones, seu, ut appellamus, intentiones applicandi Indulgentias rebus sacris, non possint ad alios transire, sed possint tamen applicari ab ipsomet, vel ab alio nomine ipsius, rebus sacris; cum (inquam) hæc docuisset, sic addit pro praxi n. 88.

23. Si igitur quis v. g. Cajus à Papa magnum numerum benedictionum sine ulla determinatione personarum accepit; poterit illas partiri, in quos visum fuerit: ita tamen ut his non sit fas transferre in alios proprio nomine, sed nomine Caij: qua de causa, cum quidam nobilis adolescens attulisset ex Urbe complures dodecadas Rosariorum benedictorum à Sua Sanctitate, decem ejusmodi, nolui aliter accipere, quam ut ejus nomine, & tanquam nudissimus Minister dividere in nonnullos domesticos, atque extraneos. Sicuti non ita pridem feci in intentionibus, eas certis rebus applicandis ex mente illius, qui mihi, cum hæc ita applicandi intentione, donaverat: acceperat autem immediate à Clemente Nono. Hæc ad verbum Gobat, quæ

Tambur. de Præcept. Eccles.

cum admodum clara sint, longiore explicatione non indigent.

24. Prosequitur deinde (ut id etiam obiter habeatis) dicens, prohiberi in dicto decreto etiam donationem medalliarum, &c. nec solum accommodatam, sed etiam precariam concessam: licet enim non appareat in decreto vox donationis, tamen sensus ex contextu, & intentione, seu fine decreti est hujusmodi. Prohibetur donatio, & etiam accommodatum, & etiam precarium.

25. Præterea asserit, posse quem, sibi retinere duo numismata v. gr. eisdem Indulgentiis affecta, ut si amittat unum, substituatur aliud, sedque non esse contra dictum decretum. Idem dicit, si sibi quis retineat duas benedictiones, seu intentiones, nam amisso numismate, substituere aliud poterit, applicando ipsi Indulgentiam: quorum duorum ratio est, quia id non est, transire à persona ad personam.

26. Denique quia non semel conceduntur Indulgentiæ Rosariis, imaginibus, &c. nulla facta mentione Crucis, dubitatum fuit, an tunc indulgentia applicari Crucibus possit? & responderetur, posse (& certè meritò) siquidem Cruces comprehenduntur sub nomine imaginum: Crux enim Imago est Christi Domini pro nobis ab illa pendentis, quam ex corde diligite, & valete.

#### Indulgentiæ Apocryphæ.

PER hanc occasionem inseram hic Catalogum Indulgentiarum, quas apocryphas, hoc est, non authenticas declaravit Sacra Congregatio.

Cc

Indul.

et in bibli...

MBVRIN  
in  
de  
VARRIS  
de  
E II  
30.6.

Indulgentiæ declaratæ à Sacra Congregatione apocryphæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ anno 1614. Principi Senensi.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Pio V. & confirmatæ à Clemente VIII. Rolario Magni Ducis Hetruriæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Clemente VIII. templo B. V. de Monte Serrato, impressæ Avenione.

Indulgentiæ plenariæ concessæ pro animabus defunctorum à Clemente VII. impressæ Madriti sub data 20. Jun. 1606.

Indulgentiæ fundatæ super revelationem B. Joannæ de Cruce concessæ Granis, sive Ave Maria, quæ dicuntur tetigisse unum illorum trium, quæ asseruntur solum esse apud ipsum Papam, Regem Hispaniæ, & P. Generalem Minorum observantiæ.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Joanne XXII. illis, qui osculantur plantam mensuræ pedis B. M. V.

Indulgentiæ concessæ ab Adriano VI. Granis benedictis ad instantiam Regis Catholici Philippi III.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ ab Urbano VIII. ad instantiam Cardinalis Magatelli in honorem sanctissimi Sacramenti.

Item illæ Indulgentiæ à Gregorio V. super hæc verba.

Sia lodato il Sanctissimo Sacramento,

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ Confraternitati SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Leone X. Imaginibus Conceptionis B. V.

Indulgentiæ concessæ, super revelationem novam factam S. Birgitte, Hedwigi, & S. Elisabethæ.

Indulgentiæ concessæ, & acceptatæ ex magna Tabula S. Joannis Lateranensis.

Indulgentiæ concessæ ab Urbano VIII. Granis benedictis ad instantiam Cardinalis Infantis.

Indulgentiæ concessæ Altari SS. Rosarii in templo S. Antonij de Rovigo.

Indulgentiæ concessæ à Paulo V. Coronis, Rosariis, Crucibus, Metallis, & Imaginibus benedictis ad instantiam Cardinalis Borromæi 1611. ex occasione foundationis Ecclesiæ S. Caroli Borromæi.

Indulgentiæ centum dierum dicenti Ave Maria ad pulsum horologii, quæ dicuntur concessæ à Leone X.

Indulgentiæ concessæ à Sixto V. Rosariis, seu Coronis, quæ dicuntur Coronæ Mysteriorum Passionis D. N. Jesu Christi Magni Ducis Florentiæ.

Indulgentiæ concessæ Crucibus de Caravacca.

Indulgentiæ, quæ dicuntur concessæ à Clemente V. ad instantiam Serenissimæ Infantis Ducis Sabaudiæ de Syndone Corporis Christi, quod, qui Orationem illam recitat, liberat animam de Purgatorio.

*Ex Cancellario S. Officij Inquisitionis ab eisdem S. Officij Not. Dom. Joanne Gappo, Romæ 18. Maij. 1657.*

Sic habet Gregorius Gobat tom. 2. tract. 4. de revocatione indulgent. pars. 2. cap. 37. à rum. 703. testans, hunc Cathalogum se recepisse à P. Bona gratia Hyblensi, qui illum à prædicto Nenario fideliter exscripserat.

Deinde ipse idem Gobat sic addit: Indulgentia de Summa Legati Hispanensis, quæ dicuntur Indulgentia Gra-

norum de mille Ave Maria, etiam dicuntur apocrypha.

Addit idem Gobat ibid. n. 706. illam Orationem, quæ tabulæ deauratæ in Sacra æde Lauretana inscripta est, quam dicens, toties quoties Indulgentiam plenariam recipit, asserit etiam apocrypham. Oratio autem dicenda quidem ex devotione, non autem ex spe Indulgentiæ est.

AVE MARIA FILIA DEI PATRIS  
AVE MATER DEI FILII  
AVE SPONSA SPIRITUS SANCTI  
AVE TEMPLUM TOTIUS TRINITATIS.



Cc 2

TRA-

et in bibliis.

TEVRIN  
in  
de præcepto  
VARRI  
de  
E III  
30. b.